



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 11. An sit tentatio Dei, offerre se ad Martyrium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**



» quia Deo inspirante factæ sunt, vel quia innocen-  
 » tes ad eas compulsi, sunt liberati, *Bonac. d. 3. q. 9.*  
 » *Prop. 3.*

## A D D E N D A.

46 *Quæst. 10. An sit tentatio Dei, si petas, ut Deus voluntatem suam manifestet aliquo miraculo.* *R.* Negat *Valentia*, quamvis admittat esse irreverentiam erga Deum, quia nimium petitur. Ratio ipsius est, quia talis non dubitat de aliqua perfectione Dei, quod ad tentationem Dei requiritur, sed tantum dubitat de objecto voluntatis divinæ. *Econtra* affirmat *Castrop. T. 17. d. 2. p. I. n. 3.* citans pro se *S. Thom. & alios*, quia vult explorare voluntatem Dei mediis indebitis, addit tamen, si causa petendi adsit, & quis humiliter petat signum aliquod divinæ voluntatis, v. g. pro confirmatione suæ Fidei aut pro re periculosa aggredienda, non fore peccatum; tum autem petetur humiliter, inquit *Suar. cum Sanch. L. 2. c. 34. n. 9.* si paratus sit credere aut facere, quod iudicabit Deum velle, quamvis signum non concedatur.

47 *Q. II. An sit tentatio Dei, offerre se ad martyrium.* *R.* Est, si fiat temerè & absque justa causa, ita *Nax. Lop.* aliique cum *Sanch. n. 15.* quod ex *S. Thoma* sic probat n. 1. & 2. quia talis interpretativè & implicite sumit experimentum de Dei Potentia & Providentia, cum finè necessitate aut utilitate justa ad id cogente expectet à solo Deo effectum constantiæ & victoriæ inter tormenta ordinariè excellentia vires naturales, quærítque periculum, à quo nullatenus, aut vix liberari potest, nisi à solo Deo. Tum autem tantum est justa causa, quando adest præceptum vel consilium Martyrii.

tum



rum adest Præceptum, quando est necessarium ad Fidem vel salutem multorum servandam, ad vitandas blasphemias, &c. Tum adest consilium, quando sentitur peculiaris Dei instinctus, aut ex eo nil aliud quæritur vel consequitur, nisi Dei gloria & Fidei exaltatio: de cætero finè tali causa provocare Tyrannos, infideles aut hæreticos ad inferendum Martyrium, etiam est cooperari ad peccatum illorum, uti cum aliis docet *S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 3.*

## DUBIUM II.

*Quid & quoruplex sit Sacrilegium.*

**R**esp. Sacrilegium est violatio rei sacræ, hoc est, dicatæ cultui divino, & peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate; non verò, si generaliter tantum repugnet; quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnant sanctitati, v.g. templi, ita ut ibi cum veniali peccato committantur. Est autem Sacrilegium triplex, Personale, quo persona; Locale, quo locus; & Reale, quo res aliæ violantur, *S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. & ceteri Theologi. Unde resolves.*

I. Personale Sacrilegium est percussio Clerici; ce pertractio ejusdem ad iudicium sæculare; item ce luxuriosa violatio personæ Deo per votum ce Castitatis sacratæ, de qua *v. inf. T. 4. c. 2. de 6. Prac. ce Dub. 2.*

II. Locale Sacrilegium est omnis actus, quo ce Ecclesia polluitur, ut est v.g. occisio hominis, ce effusio humani sanguinis vel feminis; illicita ce & notoria sepultura excommunicati, vel ce

D

non